RUPERTUS TUITIENSIS
Österreich oder Süddeutschland, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 77r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26000
Copyright: Admont, Benediktinerstift

et custodibus suscitatis. ceperunt bucinis clangere et complodere
inter se lagenas. Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis. et hy
drias confregisset tenuerunt sinistris manibus lampades. et dextris sonantes tu
bas. clamaueruntque. Gladius domini et gedeonis. Omnia itaque castra turbata
sunt. et mutua se cede truncabant. fugientes. conclamantibus et persequentibus uiris
israel. Apprehensi sunt et interfecti sunt duo uiri madian. oreb. et zeb. et deinde ze
bee et salmana reges madian. Diem illum appellat hic propheta diem prelii. cum dicit.
Sicut uastatus est samana a domo eius. qui iudicauit baal in die prelii. Nam qui
iudicauit baal. ipse est gedeon. Unde uocatus est ierobaal. eo quod dixisset ioas pater
pater eius. ulciscatur se baal de eo qui suffodit altare eius. Porro ysaias diem eun
dem appellat madian. Iugum ait oneris eius. et uirgam humeri eius. et scep
trum exactoris eius superasti. sicut in die madian. Uterque tam iste quam ille triumphum xpi
quo triumphauit. tam de inuisibilibus quam de uisibilibus hostibus suis. triumpho illi
assimilat. quo taliter triumphauit gedeon de madian. cum illis trescentis uiris. Ni
mirum psalmista quoque inimicos dei hostes. et aduersarios xpi illis principibus madian
quorum unum fuit hic salmana. similis imprecatur fore in ruina. Dominus inquit pone prin
cipes eorum sicut oreb. et zeb. et zebee. et salmana. Magnum et mirabile prelium. cuius
secundum similitudinem spirituale bellum dei tribus testibus. ysaia. dauid. et isto osee confirma
tum et prenuntiatum est fore gerendum. Nam sicut a catholicis atque orthodoxis patribus
est tractando depromptum gedeon et trecenti cum eo uiri predicatorum sancte trinitatis ty
pum gesserunt. madian uero cunctorum xpi inimicorum. Quod uiri illi non gladios.
sed sinistris quidem manibus. lagenas atque in lagenis lampadas. dextris uero sonantes te
nuere tubas. eius est rei typus exstitit. quod sancti predicatores in minore suorum salutem cor
porum. in maiore uero cura. uerbum predicationis habuerunt. Confractis hydriis siue
lagenis. lampades micuerunt concrepante sonitu tubarum. et hostes in fugam con
uersi. dispierunt. quia prostratis in morte corporibus. magnitudo gratiarum que in illis
erat occultior magis claruit. per signa miraculorum. et sic dissipata sunt contra
ria xpo molimina hostium. malignorum spiritum. siue impiorum hominum. Nunc
secundum littere presentis ordinem siue tenorem ceptum persequamur intellectum.
Sicut uastatus est inquit salmana. a domo eius qui iudicauit baal in die
prelii matre super filios allisa. sic fecit uobis bethel. a facie malicie nequici
arum uestrarum. Non dixit sicut uastatus est madian. sed sicut uastatus est salmana. qui
fuit rex madian. sic enim ibidem scriptum est. Dixitque gedeon ad uiros sochot.
Date obsecro panes populo. qui mecum est qui ualde defecerunt. ut possimus
persequi zebee et salmana. reges madian. Quomodo uastatus est ille salmana.


Notandum quod gedeon uocatus est ierobaal. non ierobaal ut quidam dicunt. videlicet eo quia destruxit et suffodit altare baal.

Lampas lampadis dicitur. et lampada lampade.